Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm

Bonagratia <von Habsheim>

Friburgi Brisgoiae, 1665

Provincialis

urn:nbn:de:bsz:31-160625

intrà quinquennium à die profeßionis expreſſæ vel tacitæ, & tunc debeat ſuas actiones, habitu regulari retēto, proponere corā Superiore ſuo & Ordinario. Huius intelligentiam videſis vnà cum requiſitorum declaratione apud Peyr. *de Prælato. q. 3. c. 1. §. 5.* Lezan. *V. Profeßio Regularis. n. 20.* Chaſſain. Cotonium.

Plura V. Nouitius.

PROVINCIALIS.

428. *Prouincialium poteſtas.* 429. *Illius limitatio.*

430. *Prouincialium decedentium ſubſtitutio.*

CCCC-XXVIII. *Prouincialium poteſtas.* 428. EAdem ratione quâ Regula Minorit. c. 8. P. Generali totius fraternitatis, ſic & Prouinciali iuxta dicta *V. Electio.* canonicè electo, totius Prouinciæ vt Miniſtro & ſeruo aliorum fratrum, Regimen committitur. Vndè pleniſſimam quoque auctoritatem & poteſtatem, ad exequendum ſuum munus & officium, ac omninò eandem in ſuis Prouincijs habent omnes, quâ potitur Miniſter Generalis in toto Ordine, in quibus non ſunt ſpecialiter prohibiti, prout de facto Conſtitutiones noſtræ Generales, poteſtatem Prouincialibus reſtrinxerunt in ſequentibus.

429. Pri-

429. Primò. Circa pœnas Apoſtatarum, qui ſecundò vel etiam tertiò aut pluries ab Ordine apoſtatauerint. *cap. 2.* CCCC-XXIX. *Illius limitatio.*

2. Ne quis Clericorum promoueatur ad Sacerdotium abſque licentia R. mi P. Generalis, niſi ſaltem octauum Religionis annum inchoauerit, &c. *cap. 3.*

3. Cùm *eodem cap.* inhibeatur, ne ſepulchra pro Sæcularibus in noſtris Eccleſijs conſtruantur: ad ſepeliendos iſtos in noſtris templis licentiam dandi facultas ex vſu, P. Generali relinquitur.

4. Vt nullus locus abſque Prouincialis Capituli conſenſu, & P. Generalis licentia deſeratur aut deſtruatur. *c. 6* Idipsũ in jure *c. vn. de Relig. dom.* Et *c. Cum ex eo. de Exceſſ. Prælat. in 6.* ſtatutum habetur. Ne Religioſi Mendicantes abſque ſpeciali licentia S. Pontificis, loca, ſeu Monaſteria ſemel accepta deſerant, vel de vno loco ad alium locum transferant, ſub pœna excommunicationis latæ contra Prælatos oppoſitum facientes. Sed Sixtus 4. *vt habetur in Comp. Priuil. V. Ædificare.* §. 8. conceſſit Miniſtro Generali FF. Minor. de Obſeru. facultatem loca minùs commoda dimittendi in manibus Ordinariorum, & illa licitè deſerendi, prout ei viſum fuerit expedire, ſuper quo eiuſdem Generalis conſcientiam onerat.

5. Structura Monaſteriorum *eodem c. 6.* P. Prouinciali ſimul cum alijs quatuor fratribus, quos ipſe Prouincialis & Definitores in Capitulo eum in finem delegerint, committitur. Inter quos ſi quando nonnulla tam in recipiendis ſitibus, quàm in effortmandis & effingendis archetypis, occurrerit controuerſia, vt hæc dirimatur ſecretis votis, ipſo P. Prouinciale vnum duntaxat ſuffragium habente, quemadmodū & ſinguli eorum, qui fabricis ſunt præpoſiti; atque vbi conuenerint circa Monaſterij formam atque cellarum numerum, &c. decretum deſuper conficiant, illudque ſubſcribant, &c. Abſolutis inſuper fabricis, ſi in aliqua re notabili, quippiam diruendum aut denuò ædificandum ſit, P. Prouincialis licentiam non concedat niſi & fabricis Præfectorum conſenſum habeat.

6. P. Prouinciali ſimul, cum PP. Definitoribus incumbit *c. 8.* Guardianorum, Cuſtodum (niſi ſint ex ituris ad Capitulum Generale, quorum electio ſpectat ad vniuerſum Prouinciæ Capitulum) aliorumque Superiorum inſtitutio ſeu prouiſio, cauſarum omnium deciſio, necnon & familiarū diſtributio, &c. Itemque *cap. 9.* Promotio fratrum ad ſtudia, de quibus etiam, cum abſoluto ſtudio ad prædicationis officium

aſſumen-

aſſumendi ſunt, vnà cum P. Lectore iuratum P. Generali, ad quem ſpectat ex Regula Prædicatorum inſtitutio, ferunt teſtimonium.

7. Licentia libros imprimendi aut evulgandi reſeruatur ipſi P. Generali, *c. 9.*

Quid jure communi poſſint aut prohibeantur Prouinciales, aut Summ: Pontificum priuilegijs pro foro tam interno, quàm externo, toto huius Summulæ decurſu declaratur; Specialiter verò *V. Diſpenſatio. V. Abſolutio. V. Iudex. V. Prælatus. V. Irregularitas. V. Pœna, &c.* Quam habeant poteſtatem tempore Viſitationis Generalis, *vide V. Viſitator.*

CCCC-XXX. *Prouincialium decedētium ſubſtitutio.*

430. Quod ſi contingat P. Prouincialem, priuſquàm ſuo perfungatur officio, mortem oppetere, decernitur in Conſtit. *c. 8.* vt in huiuſmodi euentu primus Definitor ſit Prouinciæ Vicarius: Eo verò deficiente aut vitâ functo, ſecundus ſubrogatur, & ita deinceps reliqui. Atque is quidem det operam, vt præſtituto tempore, ſecundùm quod illi à P. Generali Miniſtro mandatum fuerit, pro noui Prouincialis electione Capitulum conuocetur, in quo idem, etiamſi Guardianus non fuerit, abſque alio ad diſcretatum concurſu, actiuâ & paſſiuâ voce potiatur. Ex quo conſtat juriſdictionem

habere

habere ordinariam, non delegatam, cùm habeat poteſtatem à lege ſeu ſtatutis. Secus eſt, ſi Prouincialis exiens à Prouincia per ſe ſolum alicui commendaret Regimen illius: tunc enim hic ſolum haberet juriſdictionem delegatam, quia illam accepit ab homine. Vterque tamen gaudebit eâdem auctoritate, quam habuit is, in cuius loco ponitur, per ea quæ dixi *V. Prælat. n. 383.*

SACRI ORDINES.

431. *Ad SS. Ordines requiſita.* 432. *Obedientia.*
433. *Ordinandi poteſtas.* 434. *Tempora.* 435. *Priuilegia.*

CCCC-XXXI. *Ad SS. Ordines requiſita.*

431. Conſtitutiones Ordinis *cap. 3.* circa SS. Ordines ſtatuunt, vt iuxta Trid. *ſeſſ. 23. c. 12. de Reform.* Nullus Clericorum, qui minor ſit duobus & viginti annis Subdiaconatûs Ordine initietur: vti etiam neque Diaconatûs Ordine ante tertium & vigeſimum: Neque Sacerdotio ante vigeſimum quintum (intellige ſemper, inceptum) & ad Sacerdotium quidem nemo promoueatur, niſi præter integritatem ac probatos mores, mediocri ſit præditus intelligentiâ, vt cùm celebrat, verba quæ dicit, rectè ac probè intelligere & proferre